

**POGGII FLORENTINI ORATORIS CLARIS-
SIMI AC SECRETARII APOSTOLICI
HISTORIA CONVIVALIS DIS-
CEPTATIVA DE AVARI-
CIA ET LUXURIA.**

Et de fratre Bernardino aliisque concionatoribus.

Cum cenarent Antonius Luscus, Cincius Romanus nonnullique alii ex Pontificis secretariis cum Bartholomaeo de Monte Polliciano – eos enim invitaverat aestivis diebus more Romano ad vineam suam, quae est prope Basilicam Lateranensem – evenit ut sermo post cenam sedentibus illis tum variis de rebus, ut fit saepius, tum vero de laudibus fratris Bernardini – nam is tunc Romae praedicabat – oriretur.

Quem cum ANTONIUS, qui eum frequens audierat, maiorem in modum commendaret: «Homo est» inquit «inter omnes quos quidem audierim, mea sententia eloquens et satis eruditus; sed, quod ego praecipuam dicendi partem puto, una in re maxime excellit, in persuadendo, ac excitandum affectibus flectit populum, et quo vult deducit, movens ad lacrimas, et cum res patitur, ad risum».

Tum CINCIUS: «Hunc ego virum continuo vellem commorari in hac urbe. Multum enim profuit vox sua huic populo, et salutaris fuit tum ad emendationem morum, tum vel maxime ad sedandas, quae multae et graves erant, discordias civitatis. Est quippe, ut dicis, in eo magna vis ad mentes hominum permovendas atque impellendas; verum una in re, pace sua dixerim, errare mihi videntur et ipse et ceteri huiusmodi praedicatores. Nam cum satis multa loquantur, non accomodant orationes suas ad nostram utilitatem, sed ad suam loquacitatem. Nec curant quemadmodum medeantur aegris animis, quorum curam profitentur, sed quomodo se plebi insinuent et eius captent plausum. Itaque cum habeant res quasdam praemeditatas, quas apud omnes omnibus in locis tractare consueverunt, partim loquuntur de rebus reconditis et obscuris apud indoctos, quas non capit vulgus, partim fundunt verba in quae incidunt apud femellas et rudem plebem, quam videas abire, multo quam accesserat, stultiorem. Nonnulli ita reprehendunt vitia persaepe, ut illa docere videantur, non quantum prosint verba eorum pensantes, sed quanti fiant a mulierculis, quorum donis et muneribus anhelant, ex quo perpauci vel nulli potius evadunt eorum sermonibus meliores. Risi multotiens quorundam stultitiam, qui cum egregie laudaverint quempiam, quem audierint praedicantem, si roges quid dixerit, quamobrem illum laudent, haesitant atque obmutescunt, aut se respondent nescire».

Hic ANTONIUS: «Nequaquam hoc mireris!» inquit «Nullum enim ad hanc diem ex ipsis audivi – hunc nostrum excipio – qui mihi aliqua in re satisfaceret, quae quidem ad eloquentiam pertineret. Nam cum tria exsistant, in quibus ars dicendi omnis et facultas consistit – ut doceantur auditores, ut delectentur, ut moveantur – ita multi eorum docent, ut ignorantiae artem et stultitiae doctrinam suscepisse videantur. Ita delectant, ut nihil sit ipsorum voce et oratione molestius. Ita permovent audientium animos, ut nulli accedant tam vigilantes, tamque attentum ad audiendum, quin ad oscitationem soporemque incitentur».

«Est ita, Antoni, ut dicis,» inquit CINCIUS «et multis omnia, et huic, quem excipis, multa desunt. Sed ego non requiro ab eis quae sunt eloquentiae propria, cuius se ignaros fatentur. Illud valde admiror: cum docendi, admonendi, emendandi, corrigendi munus praeseferant, tam procul abesse a facultate [atque] eorum quae profitentur. Nam cum totum annum exclamaverint aequae oblatraverint, multa pollicentes, neminem vidimus suis vocibus effectum paulo emendatiorem. Cuius rei illa est praecipua causa, quod non accomodant verba ad summovendas eas infirmitates, quibus languent animi nostri, sed passim discurrunt ac vagantur per varia morborum genera, prout fert libido loquendi, in nullius cura insistentes. Quodsi bonos imitarentur medicos, aliquem fructum nobis afferret ipsorum labor. Sicut enim illi, cum adhibentur aegris, naturam [eius] et vim morbi penitus inspiciunt, quo rectius curent; item isti, a quibus suscipitur animarum salus, nisi diligenter scrutentur rimenturque quo quique vitio maxime sint infecti eisque opem praestent, loqui diu ac multum possunt, sanare nulla ratione possunt, non plus quam egerit ignarus morbi medicus».

Cum cenarent Antonius Luscus, Cincius Romanus nonnullique alii ex Pontificis secretariis cum Bartholomaeo de Monte Polliciano – eos enim invitaverat aestivis diebus more Romano ad vineam suam, quae est prope Basilicam Lateranensem – evenit ut sermo post cenam oriretur tum variis de rebus, ut fit saepius, tum vero de laudibus fratris Bernardini – nam is tunc Romae praedicabat – oriretur.

